Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

entia enim abscondita et thesaurus occultus. que utilitas in utrisque? Sicut scriptum est. Hec omnia propter deum. nec enim pro gloriatione aliquid dicis. aut ostensione sed ut mihi satisfacias peccatori et indigno. Credo enim deo cui uiuis et cum quo conuersaris. quoniam ob huiuscemodi rem directus sum in hanc solitudinem. ut ea que circa te sunt. deus faciat manifesta. Non enim nostre uirtutis est indiciis iudiciis dei resistere. Nisi fuisset acceptabile christo deo nostro. manifestare qualiter decertasti. nec te ipsam permiserat uideri ab aliquo. nec me confortaret tantam properare uiam. nusquam ualentem progredi. aut de cellula mea progredi [cedere]. Hec eo dicente et alia plura. eleuans eum mulier dixit. Vere abba meus erubesco dicere tibi turpitudinem actuum meorum. tamen quia nudum corpus meum uidisti. denudabo tibi opera actuum meorum. ut cognoscas quante turpitudinis luxurie confusione et obprobrio repleta est anima mea. Non enim ut tu ipse considerasti. propter aliquam gloriam que circa me fuit uolo narrare. Quid enim potero gloriari. que diabolo fui uas electionis effecta. Scio autem quia si cepero narrare ea que sunt de me fugies a me. quemadmodum quis fugiat a facie serpentis. auribus non sustinens audire. ob inexpedibilia que sum operata. Dicam tamen nichil negans. sed uerius referam. suplicans te prius ut non deficias orare pro me. ut misericordiam merear inuenire in die iudicii. Et senex suffusus lacrimis flebat. Tunc cepit narrare ea que de se erant. ita dicens. Ego frater patriam egiptum habui. parentibus autem meis uiuentibus. duodecimum gerens etatis annum. affectum illorum spernens. in alexandriam ueni. Et quomodo uirginitatem meam in primis uiolauerim. et qualiter indesinenter et insatiabiliter uicio libidinis iacui subiugata. erubesco considerare. Hoc enim nunc breue est dicere. illud autem citius dicam. ut cognoscere possis insatiabilem uicii mei ardorem. quem in amore habui stupri. Decem et septem et eo amplius annos publice transegi. in incendio iacens luxurie. non propter alicuius donum prodidi uirginitatem. nec enim aliquibus uolentibus dare aliquid accipiebam quippiam. hoc enim libidinis furore succensa considerabam. ut amplius ad me facerem concurrere. gratis implens stupri mei et sceleris desiderium. Neque uero consideres quia pro diuiciis nichil capiebam. mendicans enim uiuebam. aut multociens stuppam filando. Desiderium enim ut dixi habebam insatiabile. ita ut indesinenter me in sterquilinio luxurie uolutarem. et hoc mihi erat placabile. et hoc existimabam uitam. si indesinenter nature iniuriam peregisse. Hoc modo michi uiuenti. uidi in quodam estius tempore. libiorum et egiptiorum multi

tudinem currentem quasi ad mare. reperique aliquem et interrogaui. Vbi putas festinant uiri isti qui currunt? Dixit autem mihi. In ierosolimam omnes ascendunt. ob sancte crucis exaltationem. que post aliquos dies [solito] celebratur. Dixi autem ei et ego. Putas suscipient me si uoluero abire cum ipsis? Et ille dixit. Si habueris naulum nullus te prohibebit. Dixi ei. Vere frater naulum uel sumptum non habeo. uadam autem et ascendam in unam nauium quam conduxerunt. et licet noluerint enutrient me. memet ipsam eis tradam. Corpus enim meum in potestate habentes pro naulo accipiant. Propterea autem uolui cum eis ambulare abba meus. ignosce. ut multos haberem cooperatores in mee libidinis passionem. Dixi tibi mi domine senex ignosce mihi ne compellas me meam dicere confusionem. Contremisco enim nouit dominus. maculant enim et te. et ipsum aerem isti sermones mei. Zosimas autem terram lacrimis infundens. respondit ad eam. Dic per dominum o mater mea dic. et ne pretermittas sequentia tante salutifere narrationis. Illa autem adiungens priori narrationi addidit hec. Ille autem adolescens audiens sermonum meorum scurrilitatem ridens discessit. Ego autem fusum quem manu tenebam proiciens. hunc enim post tempus conueniebat me tenere. cucurri ad mare. ubi illos ire prospexi currentes. et uidi iuuenes aliquos stantes in littore numero quasi decem. satis corpore motuque acerrimos. et ad id quod mihi erat placabile optimos uisu. Erant autem et alii qui iam in naues ascenderant. Impudenter autem ut mihi consuetudo erat in medio eorum me irreuerenter dedi dicens. Accipite et me uobiscum quo pergitis. non enim ero uobis inplacabilis. Sed et alios sordidiores proferens sermones. omnes ad ridendum commoui. Illi autem inerubescentem motum meum uidentes. accipientes me in nauiculam portauerunt. Exinde autem nauigationem cepimus. Que autem post hec acta sunt. quomodo tibi enarrare potero homo? Que lingua dicere potest aut auris ualere audire ea que in nauigio uel in itinere facta sunt? Quomodo et nolentes ad peccandum miseros ego compellebam. non est enarrabilis nequissima species cuius sum infelicibus magistra sceleribus effecta. Ergo nunc satisfactus esto quia stupesco. Quomodo meas mare illud sustinuit iniquitatum luxurias. quomodo non aperuit terra os suum et in infernum uiuentem dimersit me. que tantas in laqueos induxi animas. Sed ut arbitror meam deus qui neminem uult perire sed omnes fieri saluos. requirebat penitenciam. Non enim uult mortem peccatoris. sed longanimiter exspectat. sustinens conuersionem. Sic namque cum magna festinatione ascendimus ierosolimam. et quantos quidem dies ante festiuitatem in ciuitate commorata sum.